

attingam, non tam urbis odio, quam literarum & virtutis amore constitutum, unde animo vel studiorum cupido vel ad ea intento, de quibus proximè dicturus sum, gratissima proueniunt alimenta, ut hinc merito velut à primo dicendorum fonte, totius narrationis descendat exordium. Quem verò nunc Historicus, illustrissimæ cohortis statuam Signiferum, nisi quem Poëtici laboris, primum duccem in Africæ meæ libris statuuisse non poenitet.

SCIP. AFRICANVS I.

SCipio ille qui primus agnomen Africani rebus gestis virtute meruit, amator solitudinis atq; otij fuit, Itaque Spiritum domitorem gentium, & militare illud corpus, bellis exercitum, auresque castrorum & tubarum fragoribus optetas, huc referre consueuerat, non ut virtus ocio langueret, sed ut sese mens varietate negociorum distracta colligeret, quam ob rem, neq; sibi vnquam ocio sus, perpetua mentis occupatione, grande aliquid moliens, neque sibi solus vnquam videbatur altissimis atque pulcherrimis comitatus curis, neque theatrum aut vulgi plausum quærebat, rerum sua-